

Eapropter universis in perpetuum notum esse volumus, quod^{a)} nos divine pietatis intuitu et perpetue retributionis pro salute quoque nostra et felicitate et heredum nostrorum ac pro remedio animarum divorum augustorum parentum nostrorum bone memorie, qui monasterium beati Ioannis de Flore pia donatione beneficiis sue munificentie dotaverunt, sicut in eorum privilegiis plenius esse dignoscitur, considerantes etiam religionem, honestatem et laudabilem vitam Matthei venerabilis abbatis de Flore et suorum fratrum fidelium nostrorum, cum propositi nostri sit, divino cultui semper intendere^{b)}, religionem fovere, ecclesias et viros ecclesiasticos honorare, ad humiles preces memorati abbatis et eius conventus de Flore innata nobis celitus liberalitatis abundantia concedimus et perpetuo confirmamus predicto monasterio de Flore grancias, quas habet in tenimentis Cherentie, Cusentie et Cutroniorum, videlicet Berdô^{c)}, Fluca, Canalem cum Bottulo et locum, qui dicitur Albe, cum vineis, arboribus, terris, molendinis, aquis, silvis, virgultis et aliis utilitatibus et pertinentiis suis et specialiter quasdam petias vinearum atque terrarum a baronibus et villanis ipsi monasterio venditas et oblatas, que omnes simul extimate capiunt, salinas frumenti octo et quasdam terras et arbores bone memorie abbati Ioachim et eius successori ab hominibus in predictis locis Canalis et Bottuli venditas et oblatas. Que omnia de feudo fuerant et regie curie servitiis obligata, de quibus supradictis omnibus ipsum monasterium ab omni exactione, census et servitii liberamus prorsus et absolvimus et totam culturam nostri demanii, que est in ipso tenimento Cherentie prope flumen, quod dicitur Lesa et vocatur Mardati, iuxta viam, que venit Cherentiam, et iuxta terram filiorum Ioannis Stephanutii cum arboribus, utilitatibus et omnibus iustis tenimentis et pertinentiis suis et cum terminis et finaytis assignatis eidem monasterio libere et sine servitio in capite tenendas et possidendas; que cultura dicitur esse sufficiens ad duo aratra necnon esse dimidium feudum militis, quod in civitate Cherentie et tenimentis ac pertinentiis suis ac in Cacurio tenuit quondam Rogerius Sarracenus, de quo nullus est heres, cum hominibus, domibus, terris et omni iure ac tenimentis et pertinentiis suis, sicut idem Rogerius Sarracenus ipsa unquam^{d)} melius ac plenius tenuit et possedit et omnes possessiones, quas Gimundus filius Raonis Battalla de Cusentia obtulit ipsi monasterio de Flore et sunt in civitate Cusentie, et eius tenimentis, de quibus possessionibus servitium unius servientis et servitium prefati

VIII. a) *überschrieben M*
quam *M*

b) *intendendere M*

c) *e verb. M*

d) *in-*